



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quæ pœna sit contrahentium matrimonium in gradu
consanguinitatis, vel affinitatis prohibito?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Quousq; & quo jure affinitas dirimit matrimonium?

Sicuti consanguinitas, ita etiam affinitas, ex copula legitima & conjugali matrimonium dirimit in linea transversali usque ad quartum gradum inclusivè, *e. Non debet s. h. t.* si verò oriatur affinitas ex copula fornicaria, vel illicita, jure novo Tridentini Concilii dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè, ut dictum. Probabilius autem est, quòd in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, sit jure naturæ irritum matrimonium inter vitricum v. g. & privignam, inter privignum & novercam, &c. & quamvis multam etiam probabilitatem habeat contraria sententia, quæ asserit non tantùm in aliis gradibus prohibitis affinitatis lineæ transversæ solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimi, sed etiam in primo gradu lineæ rectæ, negari tamen non potest conjunctionem talem suam habere contra jus naturale indecentiam, ut quamvis in reliquis gradibus sæpius dispensaverint Romani Pontifices, nunquam tamen in primo gradu lineæ rectæ.

§. III.

Virum affinitas superveniens dissolvat sponsalia de futuro, & an infideles conjuncti in gradu jure Canonico prohibito, post baptismum debeant separari?

AD primam quæstionem certa est responsio affirmativa, quod enim dirimit matrimonium contrahendum, uti-

que etiam sponsalia de futuro tollit, et hæc ad contrahendum matrimonium obligent, prout etiam habetur in *e. Super eo 2. h. t.* uti supra dictum.

Ad secundam verò quæstionem sic clarè respondet Pontifex in *e. De viduis 4. h. t.* quòd contractum ab infidelibus in gradu, jure Canonico prohibito, matrimonium, non debeat solvi, si postmodum ad fidem convertantur, cum enim tales infideles non subsint, dum infideles sunt, prædicti non Ecclesiæ, consequenter nulli obligentur impedimento purè Ecclesiastico, & consequenter validum est illorum in infidelitate contractum matrimonium, quos autem Deus conjungit, homo non sepat, dicit Pontifex in *e. cap.*

§. IV.

Quæ pœna sit contrahentium matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibitis?

IN Clement. *Eos qui unicus 1. exco.* municantur, & denunciari jubentur, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, constitutione Canonica, prohibitis, matrimonium contrahunt: sicuti autem hæc excommunicatio non incurritur, per sponsalia tantùm de futuro, cum tali impedimento, contracta ita non requiritur ad incurrendam hæc excommunicationem, consummatum fuisse matrimonium, sed sufficit ad eam incurrendam, contractum fuisse cum tali impedimento scienter matrimonium, cum huic pœna hæc, non autem sponsalibus de futuro, aut consummato matrimonio imponatur. Dixi tamen scienter

contractum fuisse tale matrimonium; si enim ignorans impedimentum tale contraxit aliquis, sive facti, sive juris illa ignorantia sit, quamvis etiam sit culpabilis, modò non sit affectata, matrimonium tale, non incurrit hanc excommunicationis pœnam, cum jura requirant ad illam incutendam, scientiam. Vide de aliis pœnis *Gloss. hic V. Iuribus in fine.*

SECTIO III.

De dispensatione in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis dirimentibus matrimonium; & de impedimento publicæ honestatis.

§. I.

Quousque Summus Pontifex dispensare possit in gradibus consanguinitatis, & affinitatis?

Quòd in omnibus gradibus consanguinitatis & affinitatis solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus dispensare possit Summus Pontifex dubitandum non est, cum hic superior sit omni jure Ecclesiastico; & quavis Tridentinum *Sess. 24 c. 5. De reform.* velit, ut in secundo gradu (lineæ transversæ) nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam; benignitas tamen Pontificis, cui à Concilio manus ligatæ non sunt, dispensat nonnunquam etiam cum inferioris conditionis hominibus, ob causam urgentem & privatam, præsertim si inter ignorantibus matrimonium jam contra-

ctum fuit. Negari tamen non debet, difficiliorem fore dispensationis impetrationem, quò major inter personas, quæ contrahere volunt, est sanguinis, vel affinitatis conjunctio, ad quas dispensationes expediendas multùm sæpè facit personarum, cum tali dispensatione contrahere volentium, qualitas.

§. II.

An in dispensatione aliquibus concessa in linea laterali inæquali attendendus sit, & exprimendus gradus consanguinitatis, vel affinitatis remotior, an verò propinquior.

Si duo sanguine juncti in diverso tamen gradu, in linea laterali, à communi stirpe distantes, matrimonium contrahere velint, remotior quidem ad computandos distantie gradus attendi debet, ut dictum; ad dispensationem tamen validam obtinendam necessarium est, ut si eorum alter uno tantùm gradu à communi stirpe distet, non tantùm remotioris v. g. in tertio gradu distantie mentio fiat, sed in super, quòd unus eorum in primo gradu à communi stirpe distet, prout voluit Pius V. in *Bulla Ascendens per quandam 1566. 26. Augusti.* Aliæ verò dispensationes in aliis gradibus valebunt, si remotioris tantùm mentio fiat, obtentis tamen postea super propinquiore gradu literis declaratoriis, ut noverit scilicet, in quo dispenset, Summus Pontifex, & reverentia primo gradui debita observetur.

§. III.

SIT 3

§. VI.